FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Academiae Fridericianae Prorector Ac Director Ioannes Tobias Carrach Reg. Maiest. A Consiliis Intimis, Fac. Ivrid. Ordinarivs Et Senior, Prof. Ivris ...

Carrach, Johann Tobias

Halae Salicae, MDCCLXIII.

VD18 13089269

Abschnitt

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216410

Visual Library

Iucundum merito exoptatumquè omnibus eſt, quotquot Chriſtum diligunt, eiusque cognitione ex limpidisſimo oraculorum diuinorum fonte haurienda, nihil prius habent nihil antiquius, his igitur diuiniorem illum codicem verſantibus non poteſt non gratum esſe ac volupe, cum vident omnium fere Chriſto tributa nomina eorum, quæ in hac rerum vniuerſitate bona vel in primis cenſentur, pulcra, præſtabilia, atque ad hominum præſertim commoda rationesque divinitus comparata. Quodſi, vt hoc vtamur, ad ea quæ ſupra nos ſunt, nec vero nihil omnino ad nos, vt ille quidem pronunciabat, pertinent, attollamus oculos, ille ſtatim aſtrorum principatum obtinens occurrit ſol, temporum terrarumque rector, lumine et calore ſuo cuncta fouens, recreans animansque; ſed nimirum huius nomen, plurimo cum omine, verum illud mundi lumen Ieſum, in ſacris ſuſtinere (Mal. IV, 2. coll. Io. VIII, 12.) quis eſt quem fugiat? Iam in hoc orbe terrarum, qui pro domicilio mortalium adſignatus generi eſt, quoquoverſum oculos mentemque circumferas, eaque luſtres, quæ tanto ab hominibus opere expetuntur, caraque et optabilia habentur, quod vitam ſine his nullam aut horridam ſaltem triſtemque esſe animaduertunt: vbiuis ſane occurrent in infinita iſta varietate et copia, quæ viri diuino illo Spiritu acti ad ea ſignanda adumbrandaque adhibeant, quæ ad nobilius regnum gratiæ pertinent, et quae Chriſtum cum beneficiis illius ſimilitudine referant. Qua in re prudens benignisſimi Numinis conſilium verſatum fuisſe videtur, hoc, vt continuo et quotidiano ſub vſu earum rerum quibus ὁ ἔξω ἄνθρωπος (ex Pauli for-

mula 2 Cor. IV, 16.) ſustentatur ſuauiterque adficitur, occurrentium rerum earundem imaginibus adſidue pellantur animi atque ad ea traducantur quibus interior homo, ipſa mens noſtra immortalis vti, vti vero? immo perfrui debet. Non eſt inſtituti noſtri longius in hunc locum latiusque excurrere, et fecerunt hac in parte alii nobis otium, qui nomina in primis Seruatoris optimi ipſius, ex vtriusque inſtrumenti voluminibus diligenter conquiſita ſcriptionibus variis complexi ſunt, ac velut in tabula cupidis ſacrarum rerum ſpectanda propoſuerunt.

Placet autem, cum appropinquantibus denuo ſacris Natalitiis, Veſtrum, Ciues æſtumatisſimi, res diuinas pie meditandi ſtudium ſcripto quodam excitandum adiuuandumque ſit, vni cuidam paulisper immorari nomini, quo ipſe ſe Dominus inſignire voluit, *panem ſe vitæ* ſeu vitalem cibum profeſſus, *qui de cælo deſcenderit, mundoque vitam det.* Io. VI, 33. Et huius quidem teſtimonii quod de ſe teſtis auctorque locupletisſimus edidit recordationem commouere facile poteſt, crebrior quæ hoc tempore fieri ſolet in ſermonibus hymnisque ſacris mentio eius loci, qui ex priſcorum vatum carminibus et hiſtoria euangelica, primus magnum illum terræ hoſpitem excepit viditque, *Bethlehemæ*, cuius a *pane* ductum eſt nomen. Quæ quamquam a fertiliori agrorum ſuorum ingenio et hoc et alterum illud *Ephratæ* nomen inuenisſe videtur: potuit tamen nihilo ſecius, id quod in aliorum quorundam ὀνομαθεσίᾳ plerumque ſtatui ſolet, etiam in hac locum habere, vt nutus quidam luſusque veluti prouidentiæ Dei ſubfuerit. Iam ergo ignobilis illa alioquin Bethlehema, ſed ob Meſſiam ibi natum celeberrima, nominis ſui menſuram amplius atque excellentiori modo impleuit, *panem* verum toti orbi efferens ac nobiliſſimum *terræ fructum* (Es. IV, 2.)

Et quemadmodum totius illius dulcisſimi ſermonis quem Ioannes c. VI Euangelii ſui pluribus perſcripſit, occaſionem Domino et velut anſam dederat externa corporis cibatio, quum ingentem hominum turbam paullo ante tam liberaliter et mirifice pauisſet, iſtos vero conuiuas nimium cupidos animaduerteret talium alimentorum, quæ præſertim ἀκοιτὶ καὶ ἀνιδρωτὶ ipſis obrigisſent: ſic non alienum fuerit, nos etiam hoc tempore imitari quodammodo tanti auctoris exemplum. Nam cum ſatis conſtet, annum hunc a cuius exitu proxime abſumus, quem reſtituta poſt diuturnum bellum terris pax ad omnem poſteritatis memoriam inſignem reddidit, frugum etiam vbertate laetisſimoque proventu memorabilem esſe, ita vt niſi hoc quaſi auctarium illi pacis beneficio

neficio fauens muneribus ſuis adiecisſet Deus, multo etiam ægrius ex bellicis calamitatibus, e quibus etiamnunc ægre eluctamur, tamquam ex longinqua tabe recrearemur; age, ita repetamus grata memoria hoc ipſum inter reliqua anni huius munera beneficium, vt tamen pro hoc ipſo quod viuendo attingimus ſacro tempore, et in ſanctioris civitatis communi gaudio, meliora ſimul quæ ſpiritum alant pabula, animo votisque complectamur, εὐλογίαν πνευματικὴν in Immanuele toti orbi deſtinatam. Neque enim obſcurum ac dubium totam iſtam auream orationem attente legentibus esſe poteſt, quem panem loquatur Ieſus e cælo demisſum. Licet enim primum velut de alio quodam dicat: *pater meus verum vobis e cælo dat panem; hic eſt Dei panis qui e cælo venit mundoque vitam dat:* (v. 32. 33.) ipſe tamen optimus ſui interpres clarius mox in ſe ipſum ita ſingula transfert, vt non opus ſit cum Eunucho iſto (Act. VIII.) diutius hærere ac dubitare de ſene ipſo magnus hic propheta loquatur an de alio? Sic enim paulo poſt: EGO *ſum panis vitæ* (v 35) atque iterum: EGO *ſum panis qui de cælo venit* (v. 38. 41) itemque: *panis quem dabo caro* MEA *eſt, quam dabo pro vita mundi.* (v. 51.) Atque hæc tanta cum emphaſi in ipſum dicta apparet, vt neminem in alium conueniant, vnde ipſum ignorare atque adeo per ἀπιστίαν negligere atque adſpernari aliumque ſectari certum eſt exitium conf. Io. VIII, 24. 12. X, 14. Pſ. XVI, 4.

Quod igitur ad illud *panis* aut ſi (ob ampliorem vocabuli ſignificationem) malis *cibi et victus* emblema attinet, quo Chriſtus hoc in ſermone vtitur, mirari licet cur longius quam res poſcit, aut vllum in contextu ſacro veſtigium admonet, nonnulli antiquitatis reique typicæ ſtudioſiores repetitum id iuerint, opinati ad *panes* illos quos *facierum* ſ *propoſititios* lex ritualis Iudaica vocat, Dominum tamquam ſui typum vmbramque reſpicere. Neque enim certum omnino aut valde probabile eſt, panes iſtos ipſum præfigurasſe Chriſtum, qui duodenario numero Iſraelis tribus æquantes, eccleſiam potius quam caput illius monadicum repræſentasſe videntur. Ac ſæpe fit, vt licet certum ſit omnem illum apparatum ritualem et tamquam mundum ſymbolicum habuisſe σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν (Ebr. X, 1.) fallaci tamen veſtigio facile inſiſti appareat, cum ad ſingularum rerum explicationem non admodum circumſpecte proceditur. (a) Sunt quidem qui nimium quantum ſigni-

 ficatio-

(a) Vid. quæ hanc in rem prudenter admonet I. C. WOLFIVS ad LVNDII *Iüdiſche Heiligthüm.* l. I. c. XXIV. n. 27. conf. I. G. CARPZOV. *Apparat. Antiquit.* in *Godwin. Moſ. et Aar.* p. 284.

ficationes illarum imaginum cumulant, et tantum non in singulis omnia deprehendere sibi videntur antitypica, v. c. Christum simul eiusque ciues, horumque et beneficia et officia, gratiæ regnum et gloriæ cet. Sed verendum, vt sic multum certi in omni typologia remaneat, cum in hoc genere, vbi per res ipsas quasi loquitur Deus, non minus quam in sermonibus ipsius, certæ significationes inquiri et perpetua sibique haud dissona analogia interpretationis obseruari debeat, ne pro iusta certaque regula, Lesbiam, quod aiunt, normam amplectamur. Sed ista quidem obiter. Vt vero rem in pauca conferamus, satis perspicue scriptor sacer ipse indicasse videtur, quæ primum inchoandi illum de cælesti pane sermonem, et quæ deinceps declarandi eundem occasio Christo data sit. Exceptus erat liberali epulo populus, e quo bene multi saltem, postquam frustra in illis locis Iesum quæsissent, conscensis nauigiis Capernaumam quo discipulos traiecisse norant, et ipsi postridie traiiciunt, repertumque tandem interrogant quando illuc venisset, rati (propter illa quæ pluribus relata v. 16-24 legi possunt) intercessisse, id quod erat, aliquid noui miraculi, quod ex temporis quam sciscitabantur ratione collecturi sibi videbantur. Sed non moratur ista Dominus, et quod propius ad rem pertineret, reponit, negans primo se ab istis ideo quæsitum studiosiüs, *quod* patrata *signa viderint*. In qua oratione Domini illud intelligendum videtur, non esse illos visis miraculis adhuc dum eo adductos vt se pro legato DEI maximo, pro Messia, reciperent et hoc sese nomine ad ipsum disciplinamque suam applicarent. Quin adeo profitetur hac correptione iisdem, vt erat accuratissime animi penetralium gnarus (Io. II vlt.) ne istam quidem plura miracula oculis vsurpandi cupidinem, qua antehac acti fuerant (coll. v. 2.) eos iam perpulisse, vt ipsum indagarent, ventris potius caussa fecisse, vt quibus victus eiusmodi perplacuisset qui tam facile parabilis et quasi in medio positus esset. Addit obiurgationi salubre sapientissimumque præceptum v. 27. *Date operam, vt adipiscamini cibum* cet. (b) Videbat nimirum homines istos

(b) Sic præeunte GROTIO, ER. SCHMIDIO aliisque, græcum ἐργάζεσθε rectissime verti videtur, in quo hæsitatum sine caussa est ab nonnullis et ad alieniora descitum. Nec LVTHERVS Vulgatum h. l. sequutus satis apte ad rem perspicueque conuertit, quum hic τὸ ἐργάζεσθαι non sit *operari aliquid* s. *efficere* sed μεταφορικῶς positum valeat, quasi operis aliquid faciendo s. danda opera comparare sibique conficere, vt IOACH. CAMERARIVS etiam habet *Notat. Figur. serm. in IV Euang.* p. 248. Ac pro illustranda phrasi plures iam vsum contulerunt ebræi עשה quem

istos dum huius vitæ alimoniæ auctoramentisque nimis auide inhiarent, regnum DEI, quod iam inter eos exoriri cœperat, per supinam negligentiam posthabere atque præ leuioribus istis res maximas contemnere; itaque serio amanterque monet, vt meliorem cibum circumspicerent, quam periturum illum atque caducum; qua tamen sententia haudquaquam intercedit Dominus, quo minus honesto quodam laboris genere victum sibi quisque et alia vitæ huius tolerandæ subsidia paret prospiciatque; quemadmodum hoc ipso effato abusi somniabant Messaliani, seu, quæ Orientalis illius nominis græca interpretatio est Euchitæ veteres, solis precibus vacandum, atque ab omni labore abstinendum existimantes. (c) Recte autem explicationem præcepti istius genuinam ex eo interpretationis canone repeti iubet SAL. GLASSIVS (*Philol. Sacr. l. III. Tr. V. con. XXII.*) cum *negatiuum aduerbium pro comparatiua particula ponitur* non paucis in locis, quorum ipse l. c. sat magnum numerum cogit, et in nostro quidem *curam* modo *et zelum in spiritualibus ante omnia reliqua inculcari* pronunciat. coll. Matth. VI, 33.

Quid autem ad hanc tam grauem, tam salutarem, tam magnificam Christi vocem Iudæi? Nimirum antiquum obtinent; ingeniumque etiam hic produnt, quale multis aliis in locis notatum deprehendimus. *Quid faciamus*, aiunt, *vt Dei opera operemur?* Vides, vt sint ἀνταποκρινόμενοι, (Rom. IX, 22.) non discendi cupiditate, vt dociles solent, sed defendendi purgandique se pertinacia interrogantes, (vt ille Luc. X, 29.) quæ iam pridem in gente hac a Malachia efficta reprehensaque fuerat vitiositas (v. Mal. I, 2. 6. II, 14. III, 13.); prodit sermo ipsorum hoc in primis, quod fuerint ἐργαζόμενοι (vt Paulus Rom. IV, 4. verbum accipit) et *suam* ex operibus *iustitiam stabilire* nitentes (Rom. X, 3.) Itaque ad declarandam ipsorum quæstionem Christo repositam hæc habet HVNNIVS noster: „*Quamprimum Iudæi* „ *inopinatum illud responsum percipiunt; facile intelligunt ipsum loqui* „ *de*

v. c. Gen. XII, 4. Ier. XVII, 11. fere vt Lat. *facere* in certis dictionibus habet, alii puriorem potius græcismum adhibendum censuerunt, inter quos præter ER. SCHMIDIVM in *Adnot. ad Act. XVIII. 3.* consulendus inprimis GRAEVIVS in *lectionibus Hesiodeis* p. 6. vbi exempla ex Platone aliisque satis conuenientia excitat. Conferunt etiam compositum κατεργαζεσθαι ex Phil. II, 13. GROTIVS et HEVMANNVS.

(c) De nominibus variis erroribusque sectæ huius, quæ Constantii Imp. temporibus passim Ecclesiam turbauit, conferri meretur SVICERVS in *Thes. Ecclesiast.* P. I. p. 1283 sqq. Paulus certe Christi sententiam non ita intellexit 2 Thess. III, 10. Valeat et hic, quod in alia re positum est: *Hoc agendum atque illud non omittendum est.*

Franckesche Stiftungen zu Halle

„ *de inquisitione veræ iustitiæ. Quia vero in ea erant opinione, quod* „ *æternam vitam iuxta legem consequi oporteat, cuius absolutam imple-* „ *tionem se suis propriis factis tenere augurabantur: ideo quærunt:* quid „ faciemus, vt operemur opera DEI? *quasi dicant, nos iam pridem,* „ *te etiam non docente, scimus, quid faciendum quid omittendum sit,* „ *quid Deus lege sua præceperit quid prohibuerit, et quomodo implendo* „ *legem vitam possidere nos oporteat. Quid ergo tu? num aliquid am-* „ *plius vis a nobis præstari, aut quid tandem est illud quo mediante ci-* „ *bum animarum et DEI opera operemur?* „ His longe quidem quam vellet secus animatis perspicue tamen et citra ambages Dominus, *Atqui*, regerit, *hoc DEI opus est, vt credatis in eum, quem ipse misit*, significaturus hoc modo, non ea, quibus ipsi vnice inhiarent Deumque demereri se posse autumarent, vt sacrificia, lustrationes, ieiunia, aliaque id genus ab ipso maxime requiri, sed eam rem potius, quam exserte demonstrat, a qua nimis alieni ipsi essent, illam, inquam esse quam Deus velit, iubeat, gratamque et se dignam habeat; in hoc adeo salutem summam ipsorum æternamque felicitatem verti. Cæterum ad illam Christi sententiam duo obseruanda videntur. Nam primo *operis* nomen de *fide* adhibens, quasi per antanaclasin, atque ad prægressa ipsorum verba recta antithesi vtens loquitur, non eorum notione illo *operis* vocabulo accepto, sed quadam latiori atque impropria, ad quam rem declarandam vti liceat eleganti SAL. GLASSII obseruatione, (d) „ *dum Iudæi volunt multa opera bona Deo præstare* „ *eumque velut demereri atque obligare sibi; Christus contra iubet nos* „ *gratuita Dei beneficia, aut panem cælestem per fidem precario mendi-* „ *care.* „ Enimuero de tali opere minime illi quidem cogitauerant. (e) Deinde vero cum *opus DEI*, hoc vt in ipsum credatur Iesus vocat, inest quidem in dictione hac ea etiam sententia, in quam identidem ac prope vnice solet excitari, non esse hominis vllius in facultate propriisque viribus situm, vt fidem veram in se producat, sed hoc ipsum *Dei donum ac χάρισμα esse, non ex nobis:* (Eph. II, 8. Phil. I, 29.) cæterum quia Christo hic cum talibus res erat, qui non tam ob id reprehenden-

(d) *Logic. Sacr.* p. 2116. coll. p. 2008.

(e) Quamquam omnibus DEI verbis promissisque ob summam ἀξιοπιστίαν fidem deberi, lex moneat, idque esse in officio, natura adeo quasi insitum nobis sit; *fidem* amen in *Christum* qua iusti saluique reddimur non in eodem censu atque ordine cum legis operibus proprie sic dictis reponendam esse, recte admonetur; quod argumentum peculiari dissertatione persequutus est D. FRANC. ALBERTVS SCHVLTZIVS ὁ ἐν ἁγίοις, Regiom. CIↃIↃCCLIX habita, vt alios taceamus.

hendendi esſent quod ipſi ſibi fidem in Ieſum Chriſtum parare atque efficere posſe quaſi Pelagiano opinionis errore exiſtimarent, ſed qui eo ante omnia adducendi erant, vt omnino credendum in hunc Ieſum Nazarenum esſe ſibi perſuaderi paterentur; proxime quidem et primario ita, vt ſupra a nobis factum iſtam ῥῆσιν explicari oportere in aprico eſt. (f) Minime alioquin excluſum volumus quod de diuina fidei origine, et ex viuifica DEI per Euangelium nos regenerantis potentia reperenda magno conſenſu eccleſiæ apud nos docent. Id potius ipſum deriuari adeo indidem facile poteſt. Quodſi enim tam gratum Deo tamque glorioſum opus eſt in Chriſtum credere; qui posſet, quæſumus in humani cordis tamquam ſterili fundo, nec niſi prauorum omnium feraci (Gen. VIII, 21.) id enaſci? debebit potius fides φυτεία patris haberi cæleſtis (Matth. XV, 13.) ſine cuius diſciplina, tractu, dono, deinceps in hoc ipſo ſermone Capernaitico negat Chriſtus ad ſe quemquam venire posſe. Io. VI, 45. 44. 37. Itaque mirari licet, et vero dolendum eſt, hac ætate noſtra (cuius illætabile ſignum id ipſum eſt) a doctrina et in ſacris litteris ſolide fundata, et in libris euangelicorum ſymbolicis clare propoſita (g) adeo quosdam recedere, vt vel e ſuggeſtu ſacro alia omnia et iſtis teſtimoniis disſona inculcare populo non dubitent.

Sed vt redeamus eo vnde paululum deflexit oratio, Iudæi ad illud quod profesſus ipſis erat Ieſus, tamquam nondum ſatis ſignorum editum esſet, diuinæ ad eos legationis documentum poſtulant, Moſisque in primis auctoritatem obuertunt, inter maiores ſuos cum aliis rebus adſtructam adfirmatamque tum maxime extraordinario illo Mannæ beneficio, quo tot annos illius ſub ductu per loca horrida et inculta iter facientes esſent enutriti. Fecit nimirum misſa a Domino vox de meliori cibo nec perituro qui ab ſe esſet exſpectandus, vt ad illud inprimis miraculum cogitatione delaberentur. Moſis autem auctoritatem cum is legalis quæ adhuc durabat œconomiæ auctor esſet, et inſignibus

 præter

(f) Quemadmodum Lutherus ſimilem σύνταξιν verborum Pſ. LI, 19. in illo זבחי אלהים feliciter ita reddidit: Die Opfer, die Gott gefallen; ſic ad eandem rationem etiam hic conuertere potuisſet; ſicut circumlocatione vti alii non dubitarunt h. l. metaphraſtæ. v. c. INFANS et BELLOSOBRIVS in verſ. gallica, *L'œuvre que Dieu demande de vous*, vt paullo ante iidem ſimiliter τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ, *des œuvres agréables à Dieu.* conf. GLASS. *Philol. Sacr.* p. 633.

(g) vid. e. gr. *Apol. Aug. Conf.* III. p. 108. 124. et conf. habitam in Fridericiana noſtra ſub B. P. ANTONIO diſſert. *de Fide ſummo DEI opere.*

Franckesche Stiftungen zu Halle

præter alios diuinæ legationis characteribus, id quod opus erat, ornatus, huius igitur auctoritatem, etsi nomen taceant, Christo opponebant, eiusque recenti cibationis operi (v. 1 sqq.) cum in dictis suis nouum quiddam et Mosis instituto maius Iesus præ se ferret. De eo enim ne per somnium quidem cogitabant, sibi iam non famulum sed filium missum esse cuius infinitis partibus maius sit quam vllius ministri diuini ἀξίωμα. Ebr. III, 2 sqq. Quam ad rem cognoscendam vt facem illis præferret, innuit haud obscure, multo plus boni, miraculum etiam illustrius in eo beneficio inesse, quod ipse filius hominis promitteret (v. 27.) quin in ipso Deus iam mundo concederet, quam in veteri illo Mannæ alimento maioribus ad corporis vitam aliquamdiu prorogandam indulto; Mannam adeo non nisi vmbram fuisse *veri* illius immortalis ac viuifici *panis* quem ipse loqueretur. (h) Huius excellentiam edisserit porro his verbis v. 33. ὁ ἄρτος τοῦ Θεοῦ ἐστιν ὁ καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ. In quibus inuersa quodam modo, vt sæpe fit, agnoscenda videtur oratio, et cum Clar. LAMPIO (*Comment.* in *Ioann.* ad h. l.) sic capienda sententia: *Is qui de cælo descendit et vitam mundo dat, panis Dei* (verus) *est.* Duplicem audimus hic characterem proponi arcteque coniungi, originis alterum, alterum officii Messiæ, sic autem verbis informatum vtrumque, vt ad id quod de Manna apud Mosen traditur respiciatur quidem, in Iesum Christum autem in summa emphasi et sublimiore sensu omnia vnice conueniant.

Atque hic quidem, Ciues, hoc agamus, et ad ea quæ ipse Λόγος τοῦ Θεοῦ pronunciat omnem cogitationem, mentem animumque convertamus; sunt enim ea, ne quis erret, quæ sub tenui sermonis genere simpliciumque verborum quasi integumento latent tam ardua ac sublimia tam deinde ad nostram salutem summam æternamque comparata, vt certum sit, hæc vt Petrus vocabat ῥήματα ζωῆς αἰωνίου (v. 68.) vbi animum nostrum tetigerint semel, nihil nobis aut maius his rebus visum iri aut dulcius.

Et ad *descensum* illum quidem *e cælo* quod attinet, quem identidem in hoc sermone, vti iam supra ad Nicodemum (c. III, 13.) memorat Dominus; (v. 33. 38. 50.) dolendum sane est, quod in tanta testimoniorum DEI de filio suo luce et copia, illa κατάβασις ἐξ οὐρανοῦ

(h) Nec alia mente quam ad typicam cibi illius prorsus singularis rationem significandam a Paulo πνευματικὸν βρῶμα vocatur 1 Cor. X, 4. de quo omnis ille populus comederit. Cæterum longas illas et perplexas disputationes de natura et vera conditione Mannæ consulto hic non ingredimur.

Franckesche Stiftungen zu Halle

ἐφανῆ tam multis fuerit ſitque etiam adhuc ſcandalo, non ſecus atque Iudæis illis nil niſi humanum et quod in oculos incurreret cogitantibus, cum *nonne hic eſt ille Ieſus*, inquiunt, *Ioſephi filius, cuius nos patrem matremque nouimus, quo modo ergo hic ait: de cælo deſcendi?* (v. 42.) Sed errabant nimirum hi, quod Ioſephi filium putarent qui ſecundum humanitatem ἀπάτωρ eſſet, atque in ignoratione profunda verſabantur alterius quæ cum humana coniuncta erat præſtantioris naturæ ac ſuperioris. Nobis, magnum illud pietatis myſterium (1 Tim. III, 16.) edoctis, nil enimuero aliud innuit illud *de cælo deſcendiſſe* (i) quam quod aliis in locis dicitur, *Deum in carne manifeſtatum eſſe*, *Verbum carnem factum*, *filium Dei vnigenitum miſſum a Patre et ex femina natum eſſe*, *Ieſum veniſſe in carne* cet. 1 Tim. III, 16. Io. I, 14. 18. Gal. IV, 4. 1 Ioh. IV, 2. Ita nimirum ob geminam naturam, perſonali vinculo copulatam et patri æterno ὁμοούσιος eſt, et vero etiam hominibus, quos inter ac Deum idem vnus mediator eſt ambarum partium naturam habens, Deus Deo natus, homo etiam et *filius hominis* (cf. Io. VI, 27. 32.) Abſit ergo, vt cum Socini ſchola hoc effatum et ſimilia ad ſingularem aliquam prægreſſam adſcenſionem in cælum trahamus, de qua in omni hiſtoria ſacra altum omnino ſilentium, quam illi quidem Chriſto ante prophetici muneris auſpicia comminiſcuntur contigiſſe eum in finem, vt propius aliquamdiu cum Deo verſatus Moſis ad exemplum (quod vero ἄτερ γραφῆς typicum hac ex parte ſtatuitur) de omni ratione obeundi muneris inſtrueretur.

Sed id quidem non opus erat in eo qui ſolus vt in ſinu patris exſiſtens Patris omne conſilium viſione perfectisſima nouerat (Io. I, 18.) et ſi tamen κατ' οἰκονομίαν ſapientisſimam factum eſſet, qui potuiſſet, quæſumus, ab hiſtoriæ Chriſti ſcriptoribus cunctis ſilentio præteriri, alias res bene multas commemorantibus, quæ ad hanc ſaltem (ſi vera eſſet) comparatæ, minus momenti trahere cenſendæ ſunt. (k)

Abſit

(i) Facilé patet illud ὁ καταβάιων v. 33. ſic capi debere quaſi in præterito eſſet ὁ καταβεβηκώς l. ὁ καταβάς coll. v. 41. 42. 51. 58.

(k) Commentum iſtud, ad quod tamquam ad κρηπῖδα quoddam ſacramque ancoram ſe recipiunt illi cum lucidisſimis de diuinitate Chriſti teſtimoniis vrgentur (vid. e. gr. GEORG. GVST. ZELTNERI *Hiſtor. arc. Crypto-Socin. Altorf.* p. 573 ſq.) pridem a theologis noſtris profligatum eſt atque conuictum. Vide quos laudat IO. OLEARIVS in *Synopſ. Controu. Sel.* p. 231. quibus plures facile addi poſſunt, vt IAC. ABBADIE apud *Spenerum* in *Tract. vernaculo de Deitate Chriſti* p. 373 ſqq. et qui peculiaribus ſcriptionibus ex inſtituto hypotheſin refutarunt BAIERVS, MOSHEMIVS, LIEBKNECHT, alii.

Absit vero etiam vetus illud Valentinianorum somnium recentiori quoque memoria a nonnullis recoctum atque incrustatum, ac si de cælo in vterum virginis humanitatem suam attulisset Seruator; id enim si ita haberet, „*Christus* (quæ neruose opinioni isti opponit HVNNIVS „ *ad Io. III, 13. p. 142.*) *nec semen Abrahæ secundum carnem, nec vir-* „ *gultum Isai, nec germen Dauidis, nec filius virginis* (hominis) *nec* „ *fructus ventris Mariæ, nec frater noster, nec os ex ossibus nostris,* „ *nec caro de carne nostra dici posset.* „

Restat igitur vt quibus dictum nostrum non paucis circumfusum videtur nebulas luce oraculorum aliorum dispellamus, aduocemusque huc quod quasi solis radiis scriptum est in sacro codice de æterna ac diuina Domini natura, et huius cum nostra vnione. Enimuero cum diuina illa natura *cælum et terram impleat*, secundum Prophetam, (Ier. XXIII, 24.) omnibusque adeo rebus locisque vniuersi proxime adsit intimeque; efficitur, vt non de mutatione loci vlla accipiatur ille descensus, sed peculiarem et nouam præsentiæ manifestationem indicet, nec vero transitorium quiddam, vt cum Deo in V. T. per ἀνθρωποπάθειαν tale quid tribuitur (e. gr. Gen. XI.) sed longe sublimius atque perpetuum etsi inenarrabile et captum nostrum exsuperans mysterium manifestationis in carne ita factæ, vt cum carne vnum personale constituat λόγος, illa autem *habitantem* in se σωματικῶς habeat *omnem plenitudinem Deitatis* Col. II, 9 cuius tamen vsu quoad officii ratio flagitabat volens se abdicauit, id quod phrasi ista simul notari videtur. (1)

Quemadmodum autem per illum e cælo descensum qui Filio DEI soli competit, omnem exspectationem captumque supergressum

(1) Adscribimus verba AEGID. HVNNII, quibus planissime suo more et accurate quæ supra disputauimus declarat Comment. in Eu. Io. p. 142 sq. „ *Non sic intelligi verba — — possunt, quasi λόγος cum iam tempus incarnationis instaret, de supremo aliquo cælo motu locali descenderit, et in vterum virginis se immiserit, vt ibi carnem assumeret. — Etenim λόγος ratione suæ essentiæ infinitæ — — de loco in locum moueri et transferri nulla ratione potest, et vt λόγος homo ac Filius hominis fieret, tali descensu — non indiguit, cum et ante incarnationem, Mariæ fuerit Deitate sua præsentissimus, et vbicumque ille est, ibidem cælum suum regnumque cæleste secum habeat. — — Filius hominis eodem modo descendit de cælo, quo a patre exiuisse dicitur Io. XIII. non quod λόγος ratione diuinitatis suæ vnquam vel patrem deseruerit, in cuius sinu perpetuo residet, vel a gubernatione cæli abfuerit — — Filius DEI de cælo in terras descendit, cum humanam naturam in terris adsumeret, humana scilicet cum hominibus conuersatione vsus. Duo igitur complectitur hic Christi de cælo descensus: I. Incarnationem ipsam — — II. Statum exinanitionis, qui sane profundissimus descensus fuit.* „ cet.

ſum φαινόμενον ſignificatur, arcanumque angelorum etiam illud inſpicere geſtientium intelligentiam defixam tenens: ita ſane non permittit ſapientiæ diuinæ indoles, vt leue quiddam atque exiguum rei ſine exemplo maximæ credamus propoſitum fuisſe. Et ſane magnum et ſupra quam dici poteſt arduum fuit, quod illa καταβάσει τῆ ἐγκολπίᾳ Deus intendit. Et in propinquo eſt, ſeque vltro quærentibus hic offert ea ipſa res. *Mundo* enim *vitam dare*, quem alterum veri panis DEI characterem addit Dominus, quantum id eſt quam magnificum? At enimuero quantumcunque eſt, præſtitum abunde esſe ſuoque modo adhuc præſtari, beatos nos quod euangelii voce edocti nouimus, ſuffragante etiam felici multorum quæ nec olim defuit nec noſtra ætate deeſt experientia. Non vni unius ætatis populo quippe vt Mannæ cibus, ſed omnibus ab communi ſtirpe Adami prognatis hic *panis vitæ* deſtinatus eſt. Omnes terribilis illa ſententia, morti ſubiicit, ex qua nemo ſe ipſe in vitam adſerere, aut ab alio vindicari poterat. Nec mortali corpuſculo is cibus paratus eſt, qui hanc quam in terris degimus vitam alat ſuſtentetque, ſed immortali potius animo, vt ab æterno liber exitio vitam cum Deo beatisſimam æternum viuat; pariterque vt cibus hic, non intereat vnquam. Quod niſi breuitas nobis nunc cuſtodienda esſet, pluribus posſet cum aliis ex teſtimoniis ſacrarum pandectarum tum ex hoc ipſo ſermone Chriſti quem Ioannes c. VI. refert, vberius explanari atque confirmari. Vos autem Cives florentisſimi, quotquot ſapientiæ omnis tam diuinæ quam humanæ etiam alumni apud nos et contubernales videri vultis, rogatos volumus, vt in tam ſalubrem, tam veſtro omnium ſtudio dignam rem, cogitationem ita intendatis, vt toti ad illam rapiamini, eiusque potiundæ deſiderio inflammemini. Nos quidem vt adiumentum aliquod ſtudiis veſtris hac in parte adferamus, fontes quosdam breuiter aperiemus piæ meditationis.

Panis igitur *vitæ*, idemque *verus Dei panis*, quam præſtans excellensque ſuapte natura ſit, quam amabilis idem ac ſuſpiciendus liberali ac munifica voluntate ſua in miſerorum vniuerſitatem reputate, muneri autem eius cui nil ſimile viget ac ſecundum iuſtum pretium ſtatuite, hoc eſt longe maximum.

Viuus in ſe eſt ille, quem loquimur panis, (Io. V, 26. VI, 57. I, 4. Apoc. I, 18 cet.) ſed nobis etiam vitæ auctor largitorque vnicus. Late nunc regnat mors, pœna peccati eſu nefando veriti fructus contracta atque in omnem progeniem vltimi generis mortalium auctoris derivata. Hoc vno vocabulo non modo finis vitæ præſentis in qua plurima

ma iam, dum agitur, mortis imago eſt, non huius igitur iactura modo notatur ſed lerna malorum, quæque animum præſertim inuaſerunt peſtes, æternum ſupplicium. Sed nimirum ille diuinus, cæloque ſupremo in terras, mortis ditionem, demisſus panis, quod nullus alius naturæ in regno præſtat cibus, efficit, vt non paſcat ſolum ſed pariat vitam, partam a mortis periculo ſeruet faciatque immortalem. Huic debetur, quod iræ Dei, quod morti obnoxii, cum venia vitam hoc eſt abundantem omnium in communione DEI bonorum copiam adire posſimus; huic acceptum ferendum, quod vitali verbo Euangelii regenerari, nouisque ad agenda, quæ Deo digna, digna nobis ipſis ſunt, viribus impertiri, in eique vita quæ ex Deo eſt conualeſcere magis magisque posſimus, immortalitatem beatam iam nunc præcipere et in corporis morte quæ ſomni induit ingenium, meliorem vitam inchoare. (m) Has porro tantas res quomodo confecerit nobis omnis ſalutis auctor, malorumque propulſator, Ieſus Chriſtus, non aliunde rectius quam ex ipſomet diſcimus. Vitæ enim ſuæ impendio, quam ideo cum humanitate ſumſerat, id conſtitisſe teſtatur (v. 51.) factumque non niſi piaculari morte ſequeſtri Numinis irati hominumque vt morti ſua vis, ſuum venenum adimeretur Ebr. II, 10. Id efficere diuinam omnino potentiam infinitamque poſcebat, quæ tamen non eo modo hic agere poterat quo nubes, quo fulmen regit, aut olim in primordio naſcentis mundi e caligine lucem iusſit emicare; ſed non alio quam eo quem diximus pacto triumphatos hoſtes nouimus, rem nobis moriendo reſtitutam.

Sed vnum ſupereſt, de quo pariter in illo Chriſti ſermone admonemur. Nempe vt vel optima ciborum genera niſi veſcamur ad vires inſtaurandas vitamque prorogandam nihil proſunt: eadem eſt ratio horum myſteriorum; ita vt qui ſpiritualem Chriſti ſ. carnis eius, quam pro mundi vita dedit, manducationem fugiat, ſua culpa ad partam ipſi etiam vitam adſpiraturus haud ſit.

Quod autem hoc principali præcepto iniungitur, ne cui nimis obſcurum intricatumque videatur, nihil aliud eſt, quam quod planisſime identidem alias iniungitur, vt *credamus Euangelio.* Nec enim dirimendus ab Euangelio Chriſtus, quod toties λόγος Χρισ̃ dicitur, aut vel extra verbum ſuum quærendus eſt, vel abesſe putandus vbi verbum ipſius fide recipitur. Verbo Euangelii *formatur in nobis* Chriſtus,

(m) Lectu digna, quæ de Vita fecundi ſenſus vocabulo habet GVIL. LYSERVS *Syſtem.* p. 1580 ſqq. vnde aliqua relata etiam apud FRIDER. WAGNERVM *Ausfürl. Betrachtungen über die Glaubenslehren* P. I. p. 34 ſq.

ſtus, *fide*, quæ *verbum præconii* nobis veluti *admiſcet* et in ſuccum ſanguinemque vt ita dicamus conuertit, Ebr. IV, 2, hac inquam tali fide *habitat in nobis Chriſtus*, Eph. III 19. *Euangelium* autem cum dicimus, cui *credere* nil aliud ſit quam *Chriſto veſci*, facile patet, nos ex doctrina Chriſti et apoſtolorum, quæ plura alias, ipſamque legem complectitur latiorique ſignificatu Euangelium dicitur, eam hic partem intelligere quæ promisſiones de ſalute in Chriſto continet et ſtrictius id nomen obtinet. (n) Is enim vere *ſermo vitæ* Phil. II, 16. nobis natura mortuis, ex quo *renaſcimur*, et *nati* tamquam ſpirituali *lacte* alimur 1 Petr. I, 23. *ſuauitatem* in eo *guſtantes Domini* (Ieſu Chriſti) c. II, 3. 2. Hæc illa μὴ ἀπολλυμένη βρῶσις ἀλλὰ μένουσα εἰς τὸν αἰῶνα Io. VI, 27. 1 Petr. I, 23. 25. Hic quouis *melle ſauoque dulcior* cibus (Pſ. XIX.) *inuentus* h. e. ſpiritualiter agnitus *comeditur* cupidisſime apprehenſus vt Ieremiæ illud habet. Ier. XV, 16.

O felices igitur beatosque nos, ſi bona noſtra non ignorauerimus, ea dicimus non quæ in natura ſterilis et deprauatæ fundo in quo peccatum et mors pauperiem fecit, nata ſint, aut quæ extra nos ſunt et iniuriæ multiplici obnoxia, ſed hæc in quæ nihil furibus, nihil cæli inclementiæ, nihil tempori, morti denique nihil ipſi licet, quæque beneficio Immanuelis parta toti mundo per Euangelii offeruntur præconium. Huius in natiuitate primus aditus eſt nobis ad vitam in Deo et cum Deo agendam patefactus. Iſta viuifica Filii DEI carne vnice ſuccurri poterat nobis ſub carne laborantibus, et vero ſuccurſum eſt admirandum in modum. Hoc omnium confesſione magnum *myſterium pietatis* eſt, ſitque etiam nobis hoc tempore, optamus hortamurque; non obiter audiendum ſed cupide excipiendum ac reuerenter. „ *Vocatur*, quæ verba ſunt Theologi noſtratis μακαρίτου, (o) *myſterium* „ *τῆς εὐσεβείας non ideo tantum, quod hoc pro fine habeat εὐσέβειαν, ſed* „ *ideo etiam maxime, quod non habeat aliam in ſe adfectionem ac indo-* „ *lem quam τῆς εὐσεβείας*, PROMTISSIMAE AC INTIMAE VENE- „ RATIONIS *erga Deum — quod ſit plenum illud promtuarium et* „ *arca omnis vnctionis ſpiritualis, et ex omnibus venis et viſceribus ſuis* „ *nil niſi ſanctitatem ſpiret — baſis illa totius cultus religioſi et omnis* „ *inuocationis cum fiducia.* „ cet.

Dolen-

(n) Perſpicue homonymiam Euangelii edisſerit *Form. Concord. Epit. n. V.* Conf. C. F. BOERNERI *Inſtitutiones Theol. Symbol.* p. 515 ſqq. et quæ MVSAEVS habet in *prælectionibus* in *F. C. Epit.* p. 214 ſqq.

(o) B. P. ANTON. *Progr. iunctim edita Sect. II. Progr. XIV.* p. 283 ſq.

Franckesche Stiftungen zu Halle

90 A 20

Dolendum ſane, plerosque eorum qui ſapientiæ ſtudium præ ſe ferunt hac ætate, guſtumque quendam meliorem purioremque crepant, alias longe res quas in hoc mundi ſenio vaniſſima ingenia et delirantia venum exponunt, ſectari, aliisque impenſius commendare. His nullus pridianus cibus tam inſipidus, ſi vera dicere velint, quam quæ ex Euangelio proponuntur Chriſti beneficia, quæ tamquam pueris et aniculis relinquenda alto ſupercilio deſpiciunt, quin conuicio ſæpe deterunt exprobrantque non ſecus atque illi præ Aegyptiacis eduliis mannam faſtidioſi aſpernabantur.

Vobis autem Ciues dilectisſimi, meliora Deus! Agite his diebus, vt Deum vultis vota precesque aliquando veſtras audire, ita quæ ipſe de Filio ſuo per præcones ſacros teſtabitur, patula aure excipite. Eum vera fide excipite, quem *obſignauit Pater* vt et ipſi teſtimonium diuinum recipientes *obſignetis* ex veſtra parte Dei veracitatem Io. VI, 27. III, 33. Cuius enim vox maiorem promtioremque quam Dei, eiusdemque indulgentiam præ ſe ferentis, faciat ſibi audientiam? Hanc reuerentia, hanc tam paternam vocem liberali obſequio, omnique fiducia proſequimini, vt Chriſti participes vitam cum ipſo perennem viuatis.

Summa eſt: *Qui Filium DEI habet, vitam habet: qui Filium DEI non habet, caret vita.*

1 Ioh. V, 12.

P. P. in reg. Frider. d. XXIV. Dec. CIƆIƆCCLXIII.

X 3641756 1578

Franckesche Stiftungen zu Halle